



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

CXXIII. Differentia 14. Iure civili crimina 20. annis præscribuntur:

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## DIFFERENTIA 14.

*Iure civili crimina 20. annis præscribuntur: l. Querela, C. ad l. Cornel. de fals. secùs iure Canonico, c. Licet causam, de probat. Boërius part. 1. decis. 26.*

**I.** Legiscitatz summa est, querelam falsi temporalibus præscriptionibus non excludi, nisi 20. annorum exceptione, sicut cætera quoque fere crimina. Clarior sensus erit, si negativè proferatur hoc modo: Nullum crimen majori tempore ad præscriptionem indiget. Adulterium enim minori tempore, puta, quinquennii spatio præscribitur. Ergo, *inquis*, post vicennium ex falso instrumento agere licet. Nequaquam, Pomponius enim negat extendi ad actionem civilem eo sensu. Et intra tricennium excipi posse de falso civiliter, non tamen criminaliter, *argum. l. 5 ff. de doli mali except.* Communior itaque opinio est, crimina seu actiones criminales 20. annorum spatio præscribi, & eodem modo Judicis officium, cum textus legis *Querela* generaliter loquatur. Ita Angelus in *l. Si vacantis, C. de honor. vacat.* B. *tritol. ab illo allegatus. Imola in l. Divus, ff. de re indicata, & alii* quia omnes exceptiones, quæ opponi possunt contra accusatorem, similiter opponi contra judicem inquirentem possunt. *Alexand. Consil. 64. vol. 1. Marsil. Aretius, Castrens. apud Boërium q. 26. n. 5. & seq.*

**II.** Hanc legum indulgentiam, quo-

modo sacri Canones approbent, Interpretes docebunt. *Abb. & Felinus in c. Licet causam, de probat. & Aufredus in Decis. Capella Thol. s. q. 188.* putant, in criminibus impediendis executionem ordinis, aut beneficii retentionem, etiam post peractam pœnitentiam non currere præscriptionem, quia talium accusatio non clauditur præscriptione legitima in aliis verò tolli directam accusationem 20. annorum tempore, eum lex civilis non inveniatur à Canone correctâ. Fallit tamen, quando agitur ad pœnitentiam imponendam, contra quam nec 100. annorum præscriptio valet, quia semper agi potest contra criminisum ad peragendam pœnitentiam, teste *Panorm. in fine c. Tua, de procur.* Hinc bene dicitur contra peccata jure naturali, aut divino prohibita non fieri præscriptionem, ut nimirum puniri non possint. Neque enim Judici potestas tollitur et officio inquirendi & persequendi flagitiosos. *V. Azor. 111. l. 3. c. 30. q. 5. Less. c. 6. D. 11. n. 36.*

\* \* \*